

stellis, cum ipsa sit una ex septem, posita in extremitate caudae ursae minoris, quae dicitur Cynosura? Respondeo, Mayronem, ut expressse habet (*in illo serm. in 4. et 9. privilegio*), et (*in serm. de nomine b. Virginis*), stellam maris ponere in ipso vero polo mundi, et addit, illam non describere circuitum circa polum, sed intra proprium ambitum volvi: et quia non videtur propter exiguitatem, quod humilitati Virginis accomodat, pro illa nos sumere aliam, quae ut ipse ait, dicitur tramontana, quae est in cauda ursae minoris, et facit modicum circuitum, estque polo maxime propinqua. Atque ita clarum remanet in Mayronis sententia, polum, seu stellam, si quae sit in eo a septem stellis ursae minoris circumdandi, a quibus distinguitur, atque ita, quod docet Mayo, optimè quadrat in Virginem, quae est in Ecclesia veluti polum, et vertex mundi, sublimis supra omnes, nosque in hoc mari navigans, et naufragantes dirigit ad portum.

Porro sanctissimos etiam viros solitos fuisse b. Virginem adoratoriis cultu per genuflexiones religiose venerari, ex variis, hisque authenticis historiis facile commonstrabo. Legimus in libro, cuius titulus est, *scala coeli*, idque refert ipse auctor Segala (*lib. de arte mirab. am. servit. et honor. b. Virg.*), monachum quendam Deiparentis famulatum addidissimum, solitum fuisse frequentissime genuflectere ante b. Virginem, et praecipue quando sacrum Mariae nomen auribus insonabat. Cum autem ob nimiam senectutem tanta corporis debilitate laborasset, ut Abbas duos fratres illi desinisset ad movendum, et conducendum eum, quo ipsi placuisset, accidit ut cum praedicti fratres a cella eius absentes, opusque esset moveri, et ad ipsum cum miteretur, nihil profecisset, tunc ad b. Virginem se convertens, dixit, *adiva Domina famulum tuum fratrem: rem sane mirabilem, continuo beata Virgo cum magna virginum comitiva ei adfuit, quarum duae, una a dextris, alia a sinistris eum tenentes, sublevarunt; beataque Virgo videns, quam multum illi displiceret, quod ob nimiam corporis debilitatem non posset solitum genuflexionum tributum ipsi pendere, illum resiliit ad pristinum illud robur, quo tringenta retro annis in iuventute sua gaudebat: quo beneficio accepto, toto vitae suae tempore quoties poterat Virginem genuflectens adorabat. Chronica etiam Patrum Capucinorum rem aliam huius argumento satis congruam commemorant. Quidam frater desiderans b. Virginem excellenti cultu adorare, centum genuflexiones singulis diebus Virgini magna exhibebat humilitate; quia tamen aliis suae religionis occupationibus praepediebatur, decrevit a numero illo centum genuflexionum quinquaginta subtrahere, et alia solum quinquaginta praestare; cum autem quadam die huic sacro exercitio vacaret, b. Virgo ei apparuit, praefixo cooperta pallio, cuius medietatem praefulgentes stellae ornabant, quae hunc in modum eum alloquuta est: Scio fili, quod genuflexionibus tuis coepisti pallium meum his splendidibus stellis decorare; at quia quinquaginta genuflexiones subtraxisti, medietas*

huius pallii rutilantibus stellis caret: quibus Marianis verbis admonitus frater agnovit, quantum placeret Deiparae Virgini genuflexionum cultus, et deinceps centum, quas solebat genuflexiones, singulis diebus integerrime praestare. Deinde in vita s. Elisabeth regis Hungariae filia, quam refert Surius, narrat ipse, quod prae eximia devotione, quae Virginem colebat, quandam ancillam suam monuerat, ut singulis noctibus illam a somno excitaret, cum in consortio principis esset in lecto, ita tamen silenter, ut clanculum posset surgere, bonamque noctis partem in genuflexionum cultu in Virginis honorem consumere: *Nocturno*, inquit, *tempore a latere viri surgens, orationibus, et genuflexionibus occupabatur*. Surius etiam (*tom. 2*) refert de sancta Catharina virgine filia d. Birgitae, huiusmodi genuflexionibus in cultum Deiparae ita deditam esse, ut singulis diebus quatuor horas in hoc sacro exercitio insumeret, copiosum lacrymarum imbrem prae eximia eius devotione effundens. Denique Pelbartus (*in suo stellarario*) commemorat quandam ex nostris Fratribus ad tria signa campanae pro salutanda b. Virgine solitum fuisse ter genuflectere; cum autem quadam die accideret, ut auditu signo, frater ille pigritia superatus, et corporis ignavia victus, et lecto, in quo iacebat, non surgeret ad salutandam Virginem, et ante illam ter, ut solebat, genuflectendum, sed tres salutationes angelicas iacens recitaret, tunc somno correptus, vidit splendens, et inclinaris, ut erax in caerulea eius sita terram tangeret; quod per tres vices fieri observavit. Qua mirabili visione motus fuit, ne deinceps ignavia corporis torpens, solitas illas genuflexiones inter salutandam Virginem unquam omitteret: pariterque fuit tacite reprehensus, quod cum aliquo turris inimicis, et omni sensu carens, audi o signo salutationis angelicae ter genuflectisset, ipse Deiparae particeps, nec semel genuflectisset, sed inurbano, et irreverenter in lecto quiescens, Virginem salutasset; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

In idem argumentum, hyperduliae cultu, qui omnium aliorum Sanctorum cultum excedit, Ecclesiae catholicae imagines Deiparae Virginis religiose veneratur, cuius occasione imaginum usus multifariam constabitur.

§. I.

RECENSENTUR PRIMI, ET NOVISSIMI HAERETICI, QUI IMAGINES CHRISTI, B. VIRGINIS, ET SANCTORUM DEMOLIRI TENTAVERUNT.

Permulti faere, qui sacrum imaginum usum ab Ecclesia Dei penitus exterminare conati sunt. Doctissimus noster Alfonsus de Castro tanquam primis huius erroris auctoribus, illum tribuit cuidam nomine Felici, re tamen infelici, cum damnatus fuerit in Concilio Franconiae, si credimus Platinae in Adriano. Primo tribuit eundem Sereno Episcopo Massiliae, quem d. Gregorius (*lib. 7. epist. 109. lib. 9. epist. 9*) acriter reprehendit, et quod mirabilis est, eundem errorem tribuit d. Epiphanio; sed pace tanti viri dixerim, aliter se res habet: nam observavit Illustrissimus cardinalis Bellarminus (*de imag. Sanct. lib. 2. cap. 6*): Felix quidam natus fuit: in Synodo Francfordiensi est felix Episcopus Urgelitanus: hic autem, ut tradit Ado (*in Chron.*), non incidit in eum errorem, sed in illum, quod Christus est Filius Dei adoptivus, et non naturalis. Serenus autem Episcopus longe ab eo errore alienus fuit: nam cum confregit imagines, id fecit, quia recessi conversi pro diis illas adorabant: quare d. Gregorius (*praec. loc.*) potius laudat zelum eius, et fidem, solamque eius temeritatem increpat, quod eo medio usus fuerit ad extinguendum illum abusum, monetque eum, ut fideles illos instruat, qua ratione imaginibus religiose uti possint. Divus autem Epiphanius, quam longe ab hoc errore abfuit, testimonium omni exceptione maius tradit 7. Synodus (*act. 6. tom. 7*), ubi ab omni erroris suspensione circa imagines purgatur: his ergo omissis, Nicolaus Sanderus (*lib. 1. cap. ult.*) de imaginibus affirmat, primos imaginum hostes fuisse Manichaeos, cuius duplex fundamentum est, primum, quia Faustus apud Augustinum (*lib. 20. cap. 3. contra Faust.*) gloriatur, quod suae sectae homines Deum sine imaginibus, et simulacris colerent, secundum, quia Thamasius satis id indicat (*in 7. Synod.*), Nicephorus vero (*lib. 16. cap. 27*), et Cedrenus (*in compend.*) arbitrantur principium huius erroris fuisse quandam nomine Xetaidis, imperante Cerone: fuit autem ille homo Persa, et Barbarus, imo et servus fugitivus; et quamvis baptizatus non esset, simulans tamen se christianum, in Episcopatum se intrusit: cardinalis tamen Bellarminus (*lib. 2. de imag. cap. 6. tom. 1*) primos imaginum exterminato-

res fuisse Iudaeos, qui in suo Thalmud, quod in lucem prodit anno Christi CDLXXVI. ord. 2. diserte docent, Christianorum ecclesias esse domos idololatricae: quod propter imagines dixisse, clare constat ex 7. Synodo, ubi frequenter Iconomachi dicuntur Hebraei, tum ex dialogis Leontii, quorum quaedam pars habetur in eadem Synodo (*act. 5*), postmodum post annum Domini DC. exortus est Mahometus, qui imaginum usum penitus interdixit, ut habetur (*in eius Alcor. cap. 13. et 17*). Unde videmus Turcas nullas prorsus admittere imagines, et propter earum cultum nos christianos idololatrias existimare; postea vero annis fere centum elapsis, hoc est post annum Domini DCC. Hebraeos quidam maleficus Ezidi regi Arabum Mahometano promissit tringenta annos vitae, si in suo imperio iuberet imagines Christi, et Sanctorum ex Christianorum ecclesiis divelli, cuius historiae meminit 7. Synodus (*act. 5*), eandemque referunt Cedrenus, Zonaras, et Nictha in vita Leonis Isauri. Ceterum inter imperatores, primum qui imagines delevit, putant nonnulli fuisse Philippicum, quia illas ex parietibus s. Sophiae abradi iussit: Constantianus Papa restitit; sed falluntur, quia non ex errore contra imagines, sed ex odio illas tantum abrasit, quia sanctos illos Patres representabant, qui sextae Synodo interfuerant, ut adolevit Paulus Diaconus (*lib. 18. in addit. Eutrop. et lib. 21*). Iam vero Leo Tertius dictus Isaurus, a quibusdam Iudaeis deceptus, hunc errorem vehementissime auxit: nam et imagines e templis deponi, ac deleri praecipit, et igni tradi, et fideles, qui ei contradicere ausi sunt, interfecit, ut referunt Paulus Diaconus, et Zonaras (*in vit. ips.*), et Cedrenus (*in comp. hist.*), et Sanderus (*lib. 7. de visib.*), Monac. (*haer. 130*), et Plat. (*in Graec.*). Secundo refert illum Leoni restitisse, et Gregorius Tertius illum excommunicasse, et imperio privasse; et hanc fuisse primam occasionem, propter quam a Graecis imperatoribus latina Ecclesia deficit. In eodem errore persistit Constantinus Quintus Copronymus Leonis filius, qui etiam Nestorianus fuit, ut ex eisdem historiis constat, qui conciliabulum Constantinopolitanum contra imagines congregavit. Retinuit posita eundem errorem Leo Quartus, quo mortuo Irene avocavit, et Constantinus Sextus, eius filius, catholicam Ecclesiam defendenter, et eorum tempore Adrianus Primus congregavit 7. Synodum, 2. Nicaenam pro imaginum defensione. Ille vero Constantinus grandior factus, repudiata Nicaena Synodo, errori Iconomachorum adhaesit. Ante quos omnes imperatores Iulianus apostata imaginem Christi confregit, et Christianis, a quod imagines, ut idola, adorarent, obiecit, ut d. Cyrillus Alexandrinus (*lib. 6. contr. il. circ. med.*), et Sozomenus (*lib. 6. hist. cap. 20*) testantur. Postea vero hunc errorem secutus est Felix, ut docent Concilium Senonense (*decr. fid. cap. 14*), et eius discipulus, Claudius Taurinensis Episcopus, ut refert Ioannes Aurelianensis (*lib. de cult. imag.*), quos contra illum scripsit. Postea Wicelf quidem errorem amplexus est, ut late Uvaldensis (*tract. tom. 3. de sacram. cap. 50*), et sequentibus, qui in Con-

cilio Constanziensi (sess. 15) damnatus est. Denique Lutherus, Calvinus, Zainglius, Carolostadius, et reliqui huius temporis haeretici, vehementer contra imagines invehantur, ut referunt Prateolus sub eorum nominibus, Lindanus (in suo *Dubit. dial.* 2), Cochlaeus (in *act. Luther.*), et Sandernus (*lib. de typ. imag. ador.*).

§. II.

IMAGINUM, PRAECEPTUM CHRISTI, ET B. VIRGINIS USUS, ET CULTUS EX SACRIS SCRIPTURIS COMPROBATUR.

Porro sanctum ac religiosum esse imaginum usum, quem semper Dei Ecclesia servavit, multifariam, multisque modis apertissime commonstrabo. Primo ex sacris Litteris, in quibus legitimus, imagines factas Dei iussu: eteom (Ex. 25) Deus fieri praecipit duas imagines cherubin super Arcam; unde d. Hieronymus (*epist. ad Marcell.*) dicit, tabernaculum fuisse adoratum a Iudaeis, quia ibi erant Cherubin: (3. *eti. Reg. cap. 6, et 7*) ex divino praeecepto sculpti fuerint cherubin, boves, et luna: (Num. 2) Deus imaginem serpentis aenei exaltari fecit; serpens autem ille aeneus, cum salutem miseris in se aspicientibus adferret, ab illis adorabatur; unde d. Augustinus (l. 3. de *Trin. cap. 10*), inter signa religiosa veneratione digna, connumerat serpentem illum aeneum: ipsa etiam Augustinus (l. 3. de *doctrin. Christ. cap. 9*) expressè docet, supradicta divinitus instituta veneranda esse, quia honor eorum ad prototypum transit; est autem certum secundum fidem, imagines illas cherubin, et serpentes, tanquam utiliter a Deo institutas fuisse, et (Psalm. 98) David ait: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, ubi ad litteram sermo est de arca testamenti, ut omnes exponunt: nec solum arcam, sed etiam mensam, propitiatorium, totumque tabernaculum adorata esse a filiis Israel, testatur 7. Synodus (act. 3), ut Damascenus (l. 4. de *fid. cap. 17*) dicens, Mosaicum populum tabernaculum illud adorasse, quod coelestium rerum imaginem gerat. Scio haereticos, et Iudaeos adversus haec loca alia ex eisdem sacris Scripturis afferre, quibus sibi probari videntur, omni imaginum genus abolendum esse: etenim (Exod. cap. 20) prohibetur omnis Dei similitudo; nam postquam dixerat Scriptura: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, subiungit infra, explicans: *Deos aureos et argenteos non facietis mecum*; id est, non facietis imagines aureas, vel argenteas, quae Deum representent; et (Deuter. cap. 40): *Memento quod Dominus locutus sit tibi in monte Horeb; vocem verborum audisti, imaginem nullam vidisti. Observa ergo te ipsum, ne forte deceptus, facias tibi ullam similitudinem*: et (Isa. cap. 40): *Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? et (cap. 46): Cui assimilastis me, et adaequastis, et comparastis me, et similem fecistis? qui conferetis aurum de sacculo, et ar-*

*gentum statera ponderastis, conducentes aurificem, ut faciat Deum. Denique (Aetor. 17) Paulus dicit: Genus ergo cum simus Dei, non est existimandum auro, vel argento, aut lapidi, artis sculpturae, et cogitationis hominum divinum esse simile. Accedit, quod (Ierem. cap. 10) imago lignea vocatur doctrina vanitatis, et (Abac. cap. 2) conflatile, et appellatur doctor mendacii. Ad haec, et similia loca, quibus prohiberi videntur imagines, et praecipue ad illud (Exod. cap. 20): *Non facies tibi sculptile*, d. Damascenus (*orat. 1. de imagin.*) respondet, verum esse illo praeecepto fuisse prohibitas Hebraeis omnes imagines Dei, ut omnino ab idololatriae periculo, ad quam ex gentium consuetudine valde propensi erant, abstraherentur, ut indicavit etiam Eleazarus inter Hebraeos peritissimus, apud Eusebium (*lib. 8. de praep. Ecang. cap. 3*): unde ad vitandum hoc periculum (Deuter. cap. 4) dicitur: *Non videatis atiquam similitudinem, ne forte faciatis vobis sculptam similitudinem, etc.* et (4. Reg. cap. 18) Ezechias confregit serpentem aeneum, quia superstitiosus illo utebantur filii Israel. Sed haec responsio merito non placet cardinali Bellarmino (*lib. 2. de imag. cap. 7*): quia sanctus Irenaeus (*lib. 4. cap. 31, et 32*) disertè docet, decalogum esse legem naturalem, excepto praeecepto de sabbato; et Tertullianus (*lib. de idol.*) contendit, nunc maxime observandum hoc praeeceptum: idem docet divus Cyrillus (*lib. 3. ad Quirin. cap. 59, et de exhortat. Mart. cap. 1*): beatus Augustinus passim affirmat totum decalogum, excepta lege de sabbato, a Christianis servandum, et nominatim illud: *Non facies tibi sculptile*. Vide librum (16. cont. *Faus. cap. 4, et 7. lib. 19. cap. 18. lib. 3. cont. 2. epist. Pelagian. cap. 4*). Idem habet sanctus Thomas (2. 2. *quaest. 122. artic. 1. et 4*). Ergo si in decalogo prohiberentur omnes imagines, peccarent Christiani, habentes imagines. Quare eam veram, et legitimam responsum esse arbitror, non prohiberi in illis locis absolute, sed idola, et Deos manibus fabricatos, quibus, vero Deo relicto, patriae cultus impenditur. Unde (Levit. cap. 26) clarius dicitur: *Non facietis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigatis, neque in signum lapidem ponatis in terra vestra, ut adoretis eum: Ego enim sum Dominus Deus vester: et ideo (cap. 18) dixerat Deus: Ego Dominus Deus vester, iuxta consuetudinem terrae Aegypti, in qua habitastis, non facietis: et subdit (cap. 19): *Nolite converti ad idola, nec deos conflatis facietis vobis*. Et ad hunc modum ubique explicatur hoc praeeceptum, significatur substantiam eius esse, et nullus praeter verum Deum colatur, et adoretur, ut Deus. Ita exponit Augustinus supra, dicens, indicat Cyprianus (*lib. 3. ad Quirinum cap. 59, et lib. de exhort. ad Martyr. cap. 1*), et Terullianus (*lib. 2. cont. Marc. circ. finem*), Clarus Damascenus (*lib. 4. de fide cap. 13*), et divus Thomas (3. *part. artic. 3. ad 1*), omnia illa verba: *Non habebis deos alienos*. Quod ut magis intelligatur, observanda est distinctio inter imaginem, et idolum: illud enim inter haec discrimen interest, quod imago est vera rei simili-**

tudo, imago enim ab imitando dicta est; idolum autem est falsa similitudo, id est, representans illud, quod revera non est, ut cum Gentiles proponebant statuas Veneris, aut Minervae, illa signa idola erant, quia repraesentabant deos generis foemini, quales dii nec sunt, nec esse possunt, atque ita nec vere representabant, sed erant falsae imagines: id enim quod non est, representari non potest: unde Abacuch (*cap. 2*) dicit: *Quid prodest sculptile, quia sculptis illud fector suis conflatile, et imaginem falsam?* Ecce clarissime definit, idolum esse imaginem falsam; cui consonat illud divi Pauli (*ad Corinth. cap. 8*): *Scimus, quia idolum nihil est in mundo, quod propterea dixit Apostolus, quia licet idolum sit aliquid materialiter, nihil tamen est formaliter, cum id representet, quod nihil est, ac proinde falso. Cui loco alium similem adducit Hieronymus (in *cap. 7. Osee*), ad probandum, idolum nihil esse: nam (Hester *cap. 14*), secundum septuaginta dicitur: *Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt*; id est, idolis. Atque hac ratione Eustachius (*in libr. 11. Odisseae*) idolum vocat imaginem inanem, qualis est quae cernitur in umbra hominis. Ex hoc igitur discrimine inter imaginem, et idolum, collige, quoties in Scripturis prohibetur fieri, aut coli sculptilia, sermonem esse de simulacris, quae homines, tanquam deos, venerabantur. Sed contra hanc solutionem insurgit Calvinus (*lib. 1. institut. cap. 11. §. 9, et 10*), ubi conatur ostendere, etiam Iudaeos, et Gentiles non habuisse simulacra pro diis, sed in simulacris Deum veram coluisse, et tamen reprehendi, quia Deus non patitur cultum suum ullo modo communicari cum imaginibus. Et certe si Deus non debet coli in imagine, eodem modo sancti, licet colendi essent, non essent tamen colendi in imaginibus. Quod Iudaei non habuerint simulacra pro diis, sed Deum verum in idolo coluerint, probat Calvinus, quia (Exod. cap. 32) populus dicebat de vitulo aureo: *Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*; ubi fatentur, se in vitulo colere eum Deum, a quo fuerunt liberati de Aegypto, et ibidem Aaron indiciturus diem festum in honorem vituli aurei, iussit praconis voce dici: *Cras solemnitas Domini est, et (Iudic. cap. 17) mulier quaedam ait: Sanctificavi coram Domino mille, et centum argenteos, ut faciam sculptile, atque conflatile*. Quod etiam Gentiles coluerunt Deum verum in idolis, probatur primo ex Augustino (*in Psal. 113*), qui refert, Gentiles respondere solitos, cum accusabantur idololatriae, se non colere ipsa idola, sed numen, quod per idolum significabatur. Sed in hac solutione mentitur Calvinus multipliciter in caput suum: nam primo falsum est, quod Iudaei, et Gentiles non habuerunt simulacra pro diis, cum Iudaei (Exod. cap. 32) dixerint: *Fac nobis deos, qui nos praecedant, et isti sunt dii tui Israel: et (Iudic. cap. 18) dicitur: *Ecce dii tui Israel, et similes deos, quos mihi feceram, abstulisti: et (3. Reg. cap. 12) de duobus vitulis Ieroboam dicitur: *Ecce dii tui Israel*. Similiter Gentiles simulacra sua deos vocabant, ut satis clare indicant verba illa (Daniel. cap. 5):***

*Bibebant vinum, et laudabant deos, quos aureos, et argenteos, aereos, ligneosque, et lapideos. Quibus persimilia sunt illa (Sapient. cap. 13): *Appellaverunt deos opera manuum suarum. Secundo falsum est, quod Iudaei, cum fecerunt vitulum aureum, non sint oblitii Deum verum; nam plane e diametro pugnant verba Calvinii cum verbis Scripturae: *Calvinius enim (lib. 1. cap. 11. §. 9) sic ait: *Nec tamen incogitantes erant Iudaei, ut non meminissent, Deum esse, qui eos adduxerat de terra Aegypti. Ac Scriptura (Deuter. cap. 32): *Deum, inquit, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui: et (in Psal. 105): *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile, et oblitii sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro: et (Ierem. 2): *Ambulaverunt post vanitatem, id est, post idola, et non dixerunt, ubi est Dominus, qui ascendere non fecit de terra Aegypti? quid clarius? Tertio falsum est, quod Iudaei in omnibus suis idolis Deum unum, et verum colere voluerint; quia certe nulla causa reddi potest, cur potius vitulum fecerint, quam ovem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Aegyptiorum, qui est vitulus niger, albis maculis insignis, quem ipsi vocabant Apim, de quo Cicero (*lib. 1. de nat. deor.*), et Augustinus (*lib. 18. de civit. Dei cap. 5*), et scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius. Iudaei ergo, qui viderant in Aegypto in summo honore vitulum, putaverunt ipsum Deum coeli esse vitulum illum, et ideo illi imaginem vituli statuerunt. Deinde, quia (Iosue *cap. vituli*) datur optio Hebraeis, an velint servire diis alienis, quibus serviunt Thare, Haehor idololatrae, an idolis Amorrhaeorum, an Deo Israel: non ergo in idolis adorabant, vel putabant, se adorare Deum Israel. Nam aliqui potuissent respondere ineptam esse optionem illam, quandoquidem in ipsis idolis Amorrhaeorum, et Thare, et Haehor Deum verum colerent. Idem confirmatur (ex 3. Reg. cap. 18), ubi Elias dicit: *Usquequo claudicatis in duas partes: si Dominus est Deus, sequimini eum; si Baal est Deus, sequimini illum*: ubi clare opponitur Baal Deo vero. Quando ergo Iudaei colebant idolum Baal, certe non colebant Deum verum. Adde illud (Deuter. cap. 32): *Immolaverunt daemones, et non Deo, diis, quos ignorabant*. Adde etiam, quod falso accusarentur Iudaei servisse diis alienis, si in idolis semper colissent Deum verum. Sed contra haec omnia obiectant Calvinistae, quia (Exod. cap. 32) dicitur: *Cras solemnitas Domini est: et (Iudic. cap. 17): *Sanctificavi hoc argentum Domino, ut faciam idolum*. Ergo vere Iudaei in idolis suis Deum verum adorabant. Sed nihil obest hoc cavillum: nam Iudaei idololatriam omnes ipsam Domini idola tribuebant, ut clare constat ex illo (Sapient. c. 14): *Incommunicabile nomen lapidibus, et lignis inposuerunt*. Nominis igitur Domini non intelligebant in illis locis verum, sed falsum. Sed referat adhuc Calvinus, Ethnicos, sen Gentiles idola deos esse putasse: sic enim ait (*lib. 1. cap. 11. §. 9*): *Nec ita stupidi fuisse Ethnici*********

credendi sunt, ut non intelligerent, Deum alium esse, quam ligna, et lapides. Respondeo, quod licet aliqui non fuerint ita stupidi, ut putarent idola lignea, vel lapidea esse deos; tamen plarimi ita stupidi erant, ut vere crederent ipsa idola vivere, et sentire, et deos esse. Neque erat haec tanta stupiditas, quantum Calvinus videri vult, quia diaboli opera interdum idola movebantur, et loquebantur, et futura praedicebant, seu potius moveri, et loqui videbantur: nam revera diabolus ea movebat, et in eis loquebatur, sed populus credebatur ipsa vere moveri, et loqui. Solita vero idola loqui patet ex capite 21. Ezech. et capite 10. Zachariae, et ex libr. 1. cap. ultim. Valerii Maximi: deinde omnes prophetae laborant, ut doceant, aurea et argentea non esse deos, ita Isaias (cap. 46), David (Psalm. 134), Habacuch (cap. 2), Baruch (c. 6), ubi habentur haec verba: *Unde notum sit vobis, quia non sunt dii; stulti autem certe essent, si id refellere conastentur, quod nemo negaret. Accedit, quod (Act. 19.) de Paulo dicant ethnici: Paulus hic suadet dicens, quia non sunt dii, qui manibus fiunt. Igitur illi putabant deos esse, quos industria manuum suarum fabricabant. Corruit ergo evasio Calvinii.*

§. III.

EX CHRISTI DOMINI EXEMPLO.

Secundo principaliter sacrarum imaginum usum mirifice obstrui, quod Christus Dominus illum approbaverit, imo et absque penicillo divina sua virtute effecerit, ac depinxerit: nam ut tradunt Borchardus (1. part. cap. 6. §. 8), et magister historiae Evangelicae cognomento Comestor, fugiens in Aegyptum ad Nili fluvium Christus infantulus, marmor a b. Virgine superpositus, ut madidae eius vestes exsiccarentur, marmor corpusculi sui figuram insculpsit, quae ad haec usque tempora ad Aegyptum peragrabilibus cernitur. In Nazareth, dum pessimi Christi concives eum ducerent, ut e supercilio collis praecipitem deicerent, ipse transiens per medium illorum ibat, et exiguo in loco delitescens, ibidem corporis sui figuram reliquit impressam: ut vero tradit Nicephor. Callist. (lib. 2. hist. Eccles. cap. 7), postquam Abagarus scripto suo persuaderet Christo, ut voluisset ad se venire, ipsumque, quo iam dudum affligebatur, inveterato morbo liberaret, non potuit desperato Iesu propter responsum acceptum adventum, quid caperet consilii incertus, eo tamen, quo in Christum tenebatur, desiderio percussus, pictorem exitum ad eum misit, eique ut diligenter, et accurate faciem eius in pictura ellingeret, imaginemque pro desiderio illo sibi adferret, imperavit: et ille quidem venit, atque in loco maiori stans, pingere Christi vultum, ut dicebat, conabatur. Quom vero coemptum opus non succederet, divinus quippe splendor, et gratia in vultu eius coruscans impedimento erat; re-

ea cognita, Salvator textum lineam petiit, in eoque prius Ioto faciem suam exprimit, et ad Abagarum mittit. Hanc eandem historiam testantur Stephanus, et Adrianus Pontifices apud Ibonem (4. part. sui decret. cap. 83), et habetur etiam in libro Adriani de imaginibus non longe a principio (in 3. tom. Conciliorum); eandemque historiam refert Damascenus (lib. 4. de fide cap. 10. et orat. 1. de imagin. circa finem), et Evagrius (lib. 4. histor. cap. 26), deinde Adricomius (in 2. part. descrip. Hierusalem num. 44). Aliam imaginem vultus Christi ab ipso impressam in haec verba commemorat: *Vero-nica lineam capitis sui populum dedit Christo, quo faciem suam tergeret, cui Dominus faciei suae imaginem perfecte impressit, eique in amoris sui pignus reddidit. Quod in hodiernum usque diem Christi fide insiguntur. Romae in sancti Petri Basilica in Vaticano, grandi honore asservatur, ac statis diebus populo ostenditur. Hanc autem historiam veram esse contestantur per plures graves auctores, Conradus Brunus (lib. 1. de imagin. cap. 13), Iulius Salignanus (tom. 8. cap. 7), Rutilius Benzonius (lib. 1. de fuga), qui alio titulo dicitur speculum Episcoporum (disputat. 1. quaest. 2), Bredenbachius (in descrip. terrae sanctae), Conradus Clingius (lib. de locis commun. cap. 70), Paschasius (in description. terrae sanctae die 20), Ioannes Echius (de passione Christi artic. 5. consider. 1), Paulus Grisaldus (in decisionibus fid. catholicae verbo Imago). Ad haec sacram suam effigiem, imo et totum corpus plagis laceratum Christus Dominus etiam mortuus impressit Syndone, quam mercatus fuit Ioseph ab Arimathea, ut habetur (Marc. cap. 15), quae Syndon religiose asservatur a duce Sabaudiae, de cuius virtute, ac sacris arcanis, tam late, quam docte scripsere Alphonsus Paleottus Archiepiscopus Bononiensis (lib. de stigmat. sacrae Syndoni impr.), et eruditus eius commentator Daniel Malonius. Illud tamen obiter interrogarim, cur Christus corporis sui effigiem, in qua vulnera, cicatrices, flagellationes, ac praecipua passionis suae vestigia cernerentur, tam admirabili artificio in Syndone pinxit? Arbitror quidem, quia imperatores victoriarum suarum trophaea accurate pingi, et publice in foro exponi curantur: ita Messala princeps praetuli sui summam, quo Carthaginenses, Hieronemque devoverat in Sicilia, proposuit in latere curiae Hostiliae Lucius Scipio tabulam victoriae suae Asiae in Capitolio collocavit: ita Lucius Hostilius non solum victoriae suae labores pingit, sed etiam populo assistens declarat. Christus igitur tanquam strenuus Imperator, victoriae suae trophaea pingi, publicae extolli, atque explicari voluit. Sed cur sanguine sui certaminis discrimina pingi placuit? puto, ni fallor, quia celebris picturarum accessit fama, si optimis sint pictae coloribus: ideo pictores minio, cennabari, chrisocolla, sandice, sandoraca, indico purpureo, sexcentisque eiusdem generis coloribus utuntur; sed Christus sanguine suo pingit, quo celeberrimam redderet suam imaginem. Accrevit Apelli laus, quod cum Alexandriam appulisset, ludibrioque ab eius urbis pictoribus ei dicebatur, a rege ut-*

vitatum esse ad prandium, ut cum ad convivium accederet, gravi cum temeritatis dedecore, quasi non invitatus repelleretur; exitum haud sperato similem res habuit: irriti ad regis mensam Apelles, hominis audaciam miratur rex, ut inde abscedat, imperat: temeritatis notam modeste purgat Apelles, se enim invitatum accessisse respondit. A quo sit invitatus, rex sciscitatur; tunc Apelles carbone ex igne arrepto, statim eius, a quo invitatus fuerat, imaginem tanto artificio expressit, ut miratus rex, maximo eum in honore deinceps haberet. Sed ecce plusquam Apelles, Christus Dominus, qui celeberrimam, nulloque saeculo interituram imaginem, non carbone, sed purpureo sanguinis sui atramento depinxit. Certe singulare pictoriae artis decus est, cum illi pictoris nomen non minorem, quam colorum nobilitas, linearam artificium, recessum fucus conferat excellentiam. Imagini Rhodi muro effictae, Rhodum a Demetrii obsidione servant, dignitatem contulit, non satyrus tibiis canens, non colorum valor, non pingendi artificium, sed Prothogenis pictoris fama. Quanta igitur erit sacrosanctae imaginis Syndone effictae laus? quanta dignitas? quando eam non Apelles, non Talisus, non Zeuxis, non Prothogenes, sed qui Apelle melior, Talisio nobilior, Zeuxi famosior, Prothogene praestantior est Christus, splendor gloriae, et figura substantiae Patris, qui non satyrum, non canem, non equum, non aviculam, pictam uvam rostro invadentes, sed propriam sui corporis effigiem tanto mirabilius pinxit, quanto eam ad charitatis flammam in nobis accendendam, imo et ad animos nostros charitatis iaculis feriendis, fructuosius accomodavit? Sed et illud, quod valde miraculosum est in hac sacra Syndone, obiter etiam adnotandum, quod cum myrrha, tanquam pix, corpori linteamina agglutinet, ut Chrysostomus observavit (homil. 8), necnon etiam aloë unguentum tetram unrat maculam, et cum alioquin mixtura aromatum multa esset, quasi librarum centum, ut scribit Ioannes (cap. 19), nihilominus tamen haec omnia delere non poterint effigiem vultus Christi Domini, et plagarum totius corporis. Ac tandem, ut ad id redeam unde nonnihil digressus sum, cum Christus ex Oliveti monte descendit in coelum, lapidi, a quo divulsus ascendit, pedum suorum vestigia insculpta reliquit, ut testatur sanctus Paulinus Nolanus (epist. 11. ad Severum), et Borchardus (1. part. capit. 6. §. 8); obvis deinde fugientis Petro Romae factus, in loco, qui dicitur Domine, quo vadis? extra portam Capenam, alias sancti Sebastiani, pedum suorum vestigia marmoris reliquit impressa, quae hucusque Ecclesiam sancti Sebastiani extra urbis muros visitantibus, exponuntur. Cum ergo Christus Dominus has omnes, quas retulimus imagines, divina sua virtute confecerit, et Ecclesiae suae tanquam veneranda pignora reliquerit, impudens, et haereticus est, qui sacrarum usum imaginum delestat: Catholici igitur Christo canamus:

Per tua corde meo Iesu pingatur imago,

Pinxisti hanc vivens, mortuus, et moriens;

Mortuus, involvunt membra quum Syndone corpus
Abagaro vivens, Veronicae moriens
Dulcis amor, Iesu, sunt haec clarissima signa,
Te velle in nostris cordibus imprimere.
Non liquum, aut marmor, non lanam, aut linteaque
Uatri quaeris viscera nostra tibi.
Una ergo nobis mens sit, sit spiritus unus, (ris)
Unum cor, unum pectus, et unus amor,

§. IV.

EX SACRIS CONCILIIIS.

Pene innumera concilia tam Orientalia, quam Occidentalia eandem veritatem definiunt; praecipue tamen ad eam solum constabiliendam celebrata fuit 7. Synodus, ubi (actione 2), omissis multis aliis, haec habentur: *Ego sanctas imagines Ioto corde suscipio, non velut noxum dogma, super inventum, sed clare cognoscens ex Apostolica traditione, sanctorumque doctorum in Ecclesia usum per manum nobis traditum fuisse: et (ibidem) dicitur: Non est imaginum structura pictorum inventio, sed Ecclesiae catholicae probata legislatio, et traditio: et (action. 7) assertio contrariae damnatur, tanquam haereticis: et (actio. 2. et 3) habentur epistolae Synodicae, in quibus tota Ecclesia graeca, et latina in hac veritate conspirant: hanc 7. Synodum fuisse 2) Nicenam universalem, legitimumque sessionem constat, quia auctoritate Adriani I. 350. Patres ad illam convenerunt, et sub eius obedientia, ac praesidentibus eius legatis, processit, ac denique a Leone III. confirmata est, ut Phodius, Proclus, et Platina constantur, necnon, et Ivon. (4. part. sui dicitur capit. 147): deinde habetur haec veritas in 6. Synodo (Canon. 73) Frolano, et (Canon. 82). Item in 8. Synodo (Canon. 3) renovantur decreta 7. Synodi. In Occidente celebratum est Concilium Romanum sub Gregorio Tertio, quod quidem nationale fuit, sed concenterunt ad id Concilium fere mille Episcopi, et auctor est Sigibertus (in Chronico). In eo Concilio damnata est haereticis Iconomachorum, imagines et templis detrahendum, sub ipsis initiis huius contentiones. Celebratum est etiam Concilium tempore Stephani, et Caroli Magni pro eadem re, ut testatur Adrianus I. qui Stephano successit in libro pro imaginibus ad Carolum. Adde Concilium Florentinum (sess. 5), ubi 7. Synodum confirmat, et Iconomachos impios appellat, et Synodum habitam in villa Gentiliacensi anno 1266. iuxta Sigibertum, vel 1267. iuxta Adonem: in ea de imaginibus actum, et admonitum Graeci, ut cum aliis piis sentire vellet, ut Paulus Emilius testatur (libro 2). Quia tamen nimis onerosum esset, et legenti prolixum testimonium omnium Conciliorum ad verbum hoc loco transcribere, solum duo, quae instar mille sunt, referam.*

Primum est ex 2. Synodo Nicaena (act. 7) in definitione, quae in haec verba exclamavit: *Haec est fides Votruum, haec est fides orthodoxorum, haec fides orbem terrarum confirma-*

rit. *Credentes in unum Deum, in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplectamur. Qui secus agunt, anathemate percelluntur. Qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntur. Nos antiquae Ecclesiae legislationi insistimus, nos decreta Patrum custodimus, nos adierentes aliquid, aut auferentes Ecclesiae anathematizamus, nos venerandas imagines sentiunt, aut eas faciunt, anathemate percellimus: quicumque sententias sacrae Scripturae de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathema: qui dicunt, quod imagines Christiani, ut Deos, adorant, anathema: qui scientes communicant cum illis, qui contra venerandas imagines sentiunt, aut eas dehonstant, anathema: qui audent Ecclesiam catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema: et in eadem Synodo 2. Nicaena (act. 3) approbantur litterae ab eadem Synodo Orientalium Episcoporum ad Tharsium patriarcham Constantinopolitanum, in quibus inter cetera haec habentur: Sanctas imagines revererem in principio adorantes Dei Verbi propter nos incarnati Domini nostri, et Servatoris Iesu Christi, qui formam nostrae assumpsit imaginem. Veneramus etiam, et adoramus imaginem Deiparae, et Dominae nostrae irreprehensibilis, immaculatae et inexcipitae castitatis matris, quae illum peperit. Quia etiam sanctorum Apostolorum, et victorum martyrum, sanctorumque, et beatorum, veluti amicorum Dei, imagines colimus, non in materia, aut coloribus honorem constituentes, sed per haec officium nostrum, quod ipsis, quorum typum imagines gerunt, debemus impartientes: cum sciamus iuxta Basilii Magni sententiam, quod imagini honor exhibitus, ad ipsum prototypum refertur; haec ibi.*

Secundum est ex Concilio Tridentino (sess. 25) in decreto de invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus: ubi haec verba habentur: *Docent imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum sanctorum in templis praesertim, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in ipsis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit fundenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant: sed quantum honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae representant: ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoramus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, reveremus: id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.*

Ceterum ut haec firmiora sint, testimonia Conciliorum, quae in contrarium huius veritatis producant haeretici, et referamus, ac diramur. In primis nobis obiectant Concilium Francfordiense, quod licet imagines retinendas iudicaverit, eis tamen adorationem exhiberi prohibuit, et quoad hanc partem Synodum Nicaenam damnavit, quae praedictam adorationem approbaverat. Respondet illustrissimus cardinalis Bellarminus, concedens, Synodum Francfordiensem sese Nicaenae opposuisse, propter auctoritatem quorundam, quos ibi re-

fert, qui eorum temporum historiam scriperunt, idque dicit ex duplici errore, non iuris, sed facti processisse. Primo, quia pulviti Synodum Nicaenam factam esse sine auctoritate Papae. Secundo, quia credit, illam definitivae, imagines esse adorandas adoratione laetiae, quod ipsa damnavit: in quo, inquit, non erravit in doctrina, sed solum in falsa existimatione, quam de Synodo Nicaena habuit. Sed, ut verum fatear, mihi difficile creditur est, Synodum Francfordiensem potuisse ex errore facti contra Nicaenam procedere, quia Nicaena Synodus paulo ante congregata fuerat confirmata. Legati autem eiusdem Adriani adfuerunt Concilio Francfordiensi, ut iidem auctores fatentur: qui ergo sit, ut tota illa Synodus Concilii Nicaeni auctoritatem, et doctrinam ignorare potuerit, cum a legatis Pontificis instrui posset? Multo autem incredibilis est, cogita per legatos auctoritate illius concilii, et Romani Pontificis approbatione, illud nihilominus damnassem, cum in eadem Synodo Francfordiensi, ut iidem auctores referunt, definitum sit, supremam definiendi auctoritatem, et approbandi Concilia, penes summum Pontificem residere. Quare quadrifariam respondendum duxi. Primo respondeo, nihil nobis obesse haec haereticorum obiectionem, quia Centuriatores ipsi (Cent. 8. cap. 9) affirmant, illi Synodo Francfordiensi non consensisse, sed potius repugnasse Adrianum Papam, et legatum eius; certum autem est, Synodum, cui repugnavit Romanus Pontifex, nullius fuisse auctoritatis, ut patet, tum ex Gelasio in tomo de vinculis anathematis, tum experientia ipsa docente, nullam Synodum legitimam haberi, cui Romanus Pontifex repugnavit. Secundo respondeo, quod licet permulti historiographi referant, illud Concilium Francfordiense fuisse coactum tempore Adriani, eiusque auctoritate contra errorem Elipandi de filiatione adoptiva; tamen, quod in eo Concilio aliquid actum sit de imaginibus, non constat; et (in 3. tom. Concil.) eam partem meo habemus, quae filiationem Christi naturalem definit de imaginibus vero nihil extat: et quod admiratione dignum est, Ionas Aurelianiensis auctor fere illorum temporum (l. 11. de imag.), in principio huius Concilii, et erroris Elipandi mentionem faciens, de imaginibus prorsus tacet: et d. Antoninus (2. part. tit. 14. cap. 1. §. 6) in eodem Concilio dicit, fuisse damnatum eundem errorem Felices de filiatione adoptiva; nihil vero dicit ibi fuisse tractatum de imaginibus, quas ab Adriano I. dicit fuisse defensas. Tertio respondeo, prout respondent Alanus Copus (l. Dial. 4. cap. 18, et 19, et Dial. 5. cap. 12, et 13), et brevis Surinus (tom. 3. Concil. in praef. ad Synod. Francf.); hunc scilicet errorem falso fuisse impositum huic Synodo: nam illa potius defendit honorem imaginum, et non veram septimam esse Synodum, sed pseudosynodum Constantinopolitanam, quam Graeci interdum septimam vocabant, reprobat. Quod primum probo ex Concilio Senensi, in decretis fidei (cap. 13) dicente, Carolum Magnum in Francfordiensi conventu erroris Iconomachorum suppressisse insaniam. Secundo, quia Paulus Aemilius (lib. 2. de gest. Francf.)

prop. fin.) dicit, Concilium illud fuisse congregatum contra Graecos, imagines damnantes, et imaginibus, inquit, suis honor servatus est; et idem dicit Blondus (lib. 1. deca. 2), et Sabellicus (lib. 8. Anead. 8), et Platina (in vit. Adrian.), ubi sic ait: *Biennio post Theophilus, et Stephanus Episcopi insignes, Adriani Nomine Francorum, et Germanorum Synodum habuerunt, in qua et Synodus, quam Graeci appellabant, et haeresis de tollendis imaginibus damnata est. Et Gallisarius Arelatanus (in Chron. ann. 816. in Carol. Magn.) dicit, in eo Concilio damnatos fuisse Graecos, et imagines restitutas. Non est igitur verisimile, quod huic Synodo imponitur. Quamquam si ipsa errasset, non posset eius auctoritas in hac parte cum auctoritate Concilii Nicaeni comparari, cum in eam Romana Sedes nunquam consenserit, quae alteram Synodum approbavit: de libris autem illis, Carolo Magno falso impositis, nihil curandum est, quia neque a Carolo scripti sunt, et prout neque extant, non constat, an sint admodum antiqui; immo ab alio haeretico existimantur confecti, prout scripti fuerunt tempore Adriani I. ab eodem satis confutati sunt, ut (in 3. tom. Concil.) habetur. Quarto respondeo, quod licet Concilium Francfordiense fuerit legitimum, fuit tamen particulare, cum Papa Adrianus, et legati eius ei non subscriperint, ut et ipsi haeretici Centuriatores fatentur: Synodus vero Nicaena Generale, et plenarium Concilium fuit; est autem regula divi Augustini (lib. 2. de bapt. cap. 3), concilia particularia plenarius sine dubitatione cedere debere; quae etiam ratione responderet ad aliud Concilium Constantinopolitanum, quod haeretici obiectant, in quo imagines abolerentur: illud enim plane fuit particulare sub Constantino Copronymo, cum ad illud non fuerint vocati, nec adfuerint, nec per se, nec per legatos Pontifex Romanus, nec etiam Alexandrinus Antiochensis, et Hierosolymitanus Patriarchae, sed solus Pseudo Episcopus, quem haeretici, deposito sancto Germano, indigne patriarcham fecerant, ut testantur Cedrenus, et Zonaras in vita Constantini Copronymi, imo et ipsi etiam haeretici Magdeburgenses fatentur (Centur. 8. cap. 9), necnon et Paulus Diaconus, qui tunc vivebat (lib. 22. rer. Roman.). Ubi obiter adnotandum censeo, Concilium istud Constantinopolitanum falso vocari Ephesinum tertium a multis recentioribus, et ab eo, qui edidit concilia in quadam admonitione praemissa 7. Synodo, et ab auctore summae Conciliorum in principio 7. Synodi a Sixto Senensi (l. S. biblioth. sanct. ann. 247), et ab aliis. Causa erroris fuit, quod Concilio isti praesedit Theodosius Episcopus Ephesinus: nam quod vere non Ephesi, sed Constantinopoli habitum sit, patet ex omnibus antiquis historicis, et ex ipso Concilio, quod insertum habetur (act. 6. Nic. Conc.).*

Ad extremum obiectant idem haeretici, Concilium Ilibertinum, in quo apertissime satisfactum imaginum usus. Huic Concilio ut satisfacti doctores, in varias sententias abierunt. Quidam enim dicunt prohibuisse, ne imagines ritu Gentilitio adorarentur; alii, quod solum prohibet imagines Dei, et eo quod eum solus

spiritus non sit figurabilis, ut est in seipso, sed ut plurimum per quantum analogiam ad alia. Magister autem Gaudus (l. 5. de loc. 2. 4) non dubitavit dicere Concilium illud errasse, provinciale enim erat, non generale. Sed haec omnia plane mihi videntur absque fundamento dicta: verba enim illius canonis, quae (in 1. tom. Concil.) et de consecratione (dist. 4. cap. placuit), et in decreto Ivon (3. part. cap. 40) habentur, haec sunt: *Placuit, in Ecclesia picturas esse non debere, ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur. Ex quibus verbis non obscure colligitur, ibi non prohiberi imagines simpliciter, sed ne in parietibus Ecclesiarum depingerentur. Quae lex potuit eo tempore expedit, fuit enim illud Concilium circa tempora Concilii Nicaeni, quando idololatria adhuc vivebat, unde facile accidere poterat, ut imagines sanctorum in parietibus depictae ab infidelibus irreverenter tractarentur. Ita respondet Alanus (dist. 5. cap. 16), Sanderus (lib. 2. cap. 4), Ayla (lib. de tradit. 3. part. de antiqu. imag.), qui aliam rationem illius decreti subiungit, scilicet quia imagines in parietibus depictae facile deformantur. Quia vero hoc incommodum diligentia evitari potest, et antiqua illa necessitas iam cessavit; ideo decretum illud usque abrogatum est. Et in septima Synodo huiusmodi imagines in parietibus depictae admittuntur.*

§. V.

EX ANTIQUISSIMAE ECCLESIAE TRADITIONE, ET CONSUETUDINE.

Angelicus Doctor (3. part. quaest. 23. art. 3) usum imaginum Christi censet haberi ex traditione Ecclesiae: verba eius sunt haec: *Dicendum, quod Apostoli familiari instinctu Spiritus sancti, quaedam Ecclesiae tradiderunt servanda, quae non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiae per successionem fidelium. Unde ipse Apostolus dicit (2. ad Thess. 2): State et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, scilicet ore probatum, sive per epistolam, scilicet scripto transmissam. Inter huiusmodi autem traditiones, est imaginum Christi adoratio. Unde et b. Lucas dicitur deiparissae Christi imaginem quae Romae habetur; hactenus d. Thomas: idipsum fatetur (in 3. dist. 9. art. 2. ad 42) dicens: *Inter multa, quae Apostoli tradiderunt quae scripta non sunt in Canone, unum est de usu imaginum. Imo non desunt, qui putent, adeo antiquum imaginum usum fuisse, ut a tempore Enos inceperit. Lipomanus enim super Genesis exponens verba illa (cap. 4) Enos cepit invocare nomen Domini, sic loquitur: *Primum invocare cepit nomen Domini Enos, quia secundum aliquos, primum inventi imagines quasdam, per quas orationis devotio excitaretur; vel quia eius tempore instauratus est Dei cultus, ritusque coepit ceremoniis Deum colere.***

Deinde communis, et receptissima est tra-

dito imaginum Christi, quas Nicodemus fecit; praecipue tamen auctor Supplementi Chronico- rum (L. 8) affirmat, quod ille clavos, lanceam, ac linteamina, et passiones Christi instrumenta diligenter servavit, et ad exemplar imaginis Christi in linteaminiibus sepulchralibus impressae, ipse Christi imaginem exculpit, quam imaginem quidem esse voluit eam, quae nunc in civitate Lucae, maxima confluentium frequenta, colitur: etenim Mallovius (de frat. stigm. synd. Christ. cap. 2. num. 15) refert, quod quidam Episcopus e Gallia praedictam imaginem in navigio deportavit, multis cum luminariis, sed sine ullo custode divinae providentiae illam commisit, quae navis ad Lucensem portum devenit; tuncque per angelum admonitus Lucensis Episcopus, imaginem curra magnifico imposuit, locumque sibi ipsa imago inventi Lucae, ubi magnifico templo extracto, singulari pietate, ut diximus, colitur. Habemus deinde ex antiquis historicis, Silvestrum Papam imagines Petri, et Pauli, quas apud se habebat, Constantino Imperatori ostendisse, quibus ille cognovit eodem esse, qui sibi in visione apparuerant: ita refert Nicephorus (l. 7. hist. cap. 33), et in edicto Constantini, quod (in l. Ion. Conced.) habetur, ubi etiam dicitur eodem Silvestrum, et Constantinum, variis aedificatis templis, in eis nullas imagines possuisse, quas sequentes Pontifices imitari sunt, ut ex Damaso, Platina, et aliis, qui vitas Pontificum scripserunt, constat: meminit etiam Eusebius (l. 1. hist. cap. ult. et lib. 7. cap. 14) imaginem Petri, et Pauli, quibus fere a principio Ecclesia Romana usa est.

Patet haec eadem traditio ex antiquorum Patrum scriptis, Dionysii, Athanasii, Basilii, Chrysostomi, et aliorum, quorum testimonia in 7. Synodo (Act. 3. 4. 5) magna ex parte referuntur: plura etiam congressit Damascenus (orat. 1. et 3. de imag.), qui etiam (lib. 4. de fd. cap. 16): Statuas, inquit, Sanctorum erigimus, et visibiles imagines. Et Augustinus (lib. 10. confess. cap. 34) reprehendit pietras, quando in eis non servatur usus necessarius, et pia significatio: et (lib. 1. de cons. Evang. cap. 10) satis significat, suo tempore fuisse in usu imagines Petri, et Pauli; et (lib. 20. contr. Faust. cap. 73) idem habet de imagine Abrahae, filium sacrificare volentis (lib. 5. contr. Julian.). Similia docet de imaginibus Adae, et Evae Gregorius (l. 9. epist. 9). Hanc eandem traditionem, et consuetudinem Ecclesiae probat multissimus usus imaginum, qui semper viguit in Ecclesia; nam in secunda aetione secundae Synodi Nicaenae epistola Synodica Aediani Pontifici Romano ad Constantinum Imperatorem, et Ireneae eius matrem, inter cetera in haec modum ait: *Hi Principes Apostolorum sunt, Petrus, et Paulum intelligit, qui catholicam orthodoxam fidem suscipi per scripta vident, veluti legibus latis, fidem suam servandum praecerunt, omnibus scilicet qui in sedes illorum successuri erant, et in fide eorum usque ad consummationem saeculi permansuri, atque sola nostra servat Ecclesia, et sanctas eorum figuras veneratur. Unde in hunc usque diem venerandis horum imaginibus ecclesiae nostrae or-*

notae ac conspicuae sunt, quemadmodum sanctissimus, et beatus Papa Silvester in principio Christianorum nostrorum, orthodoxa fide testatur. Callistus III in quodam diplomate, quod in Ecclesia Caesaraugustana asservatur, et Vascaeus in Annalibus rerum Hispan. et noster Pineda (in Monarchia lib. 10. cap. 2. §. 4) meminerunt camerae angelicae, quam fabricavit d. Iacobus, a quo tempore extat imago Dei Genitricis posita super basim Petream, in qua Deipara apparuit b. Iacobo Apost. et cardinalis Iacobus de Vitraco (in suis Orientali hist. cap. 44), nec non Raphael Volaterranus (lib. 11) commemorant aliud saeculum a divo Petro extractum, in honorem Dei parentis, in quo locata erat eius imago. Nicephorus (lib. 15. cap. 14) tradit Pulcheriam Augustam templum condidisse Constantinopoli, in quo religiose locavit effigiem Deiparae, a s. Luca depictam, quam e Hierosolymis ad eam miserat Eudoxia; Tertullianus (in l. de pudice ante med.) his testatur, in sacris basilicis Ecclesiae catholicae depictam fuisse Christum in forma pastoris oberrantem suis humeris ovem reportantis ad ovile. S. Damascus in vita Silvestri scribit, Constantinum in loco, ubi fuerat baptizatus, posuisse agnum, et auro purissimum, ad dexteram agni statuum argenteum Ioannis Baptistae. In Ecclesia autem ipsa Lateranensi possuisse imagines argenteas Salvatoris (Apostoli duodecim), et angelis quatuor. In 7. Synodo (Act. 4. 6) refertur, quemadmodum discipuli s. Epiphani templum Epiphaniae exstruxerunt, quae imaginem eiusdem in eo posuerunt: d. Athanasius in libello de passione imaginis Domini nostri Iesu Christi, qualiter crucifixa est in Syria, in urbe Beryto, ait: Postquam curati sunt, per unctionem sanguinis, cuius imaginem flaverat, cuncti, qui aegritudine debebantur, cecurrerunt, multitudine Induorum ad domum s. Ecclesiae, quae in eadem urbe erat, ubi et Metropolitanum invenierunt, cuius probatum est stigmis, se percussos, et graviter deliquisse, magis coribus favebantur: is eum ab eis perquireret omnem rei veritatem, sanctam Iconem Domini Salvatoris eidem demonstrans, annuicaverunt, cuncti, quae in ea exercebant, et qualiter ab eia lanceae sanguis, et aqua emanavit ex latere ipsius, nec non et de mirabilibus ab ea ostensis: ipsi referunt per ordinem: ille vero interrogant qualiter Icon ipsa ab eis fuisset reperta, et si ab aliquo eam accepisset, et illi retulerat, et quod quidam Christicola, per oblivionem, in cellula Synagoga prostrata, dimisisset eandem Iconem: tunc se ad alium locum transferret, hospitium gratia, qui statim subter huius, et reliquos, in praesentia Domini Metropolitanus statuit: remane ab eo studiosissime fuisset interrogatus, quomodo Icon apud se deventisset, vel n. quo tam mirabiliter posita esset, respondit dicens, quod Nicodemus, qui ad Iesum nocte venerat, propriis manibus eam composuisset, et mortem Gaiabari tradidisset. Gaiabari autem doctoris Gentium Pauli magister: eum diem sibi eerneret adesse extremum, Iacobo eam reliquit, et Iacob Simon, et Simon Zachaeo, et sic per successiones temporum in Hierosolyma perduravit usquequo sub-

versio illius urbis patrata est, quadragesimo et tertio anno post Ascensionem Domini ad caelos; sed biennio antequam Titus, et Vespasianus eandem subverterent Urbem, admoniti sunt a Spiritu sancto fideles, atque discipuli Christi, ut relicta urbe ad regnum se transferrent Agrippae regis, quia ipse tunc Agrippa Romanis foederatus erat. Qui egressi ab urbe, omnia, quae ad cultum nostrae religionis, vel fidei pertinerent, delantur, secum auferentes in has regiones, saepe transulerunt: quo tempore etiam Icon, cum ceteris rebus Ecclesiasticis, deportata, usque hodie in Syria permansit, quam ego, ipse a parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam, in re haereditario usque nunc possedi. Haec certa et manifesta ratio est de Leone sancta Domini Salvatoris, qualiter de Iudaea in Syriae partes devenit. D. Basilus (orat. in S. Barlaam, in fine) in ipsa eouione ostendit imaginem s. Barlaam alicubi in templo depictam, et ad gaudere se, quod melius pictores expresserint nam eius, pro Christo combasiam, quam ipse oratione descripsit: Ab eo, inquit, fortium martiris sanctorum pictura, a vobis superatus, gaudio, tali vestrae fortitudinis victoria, hodie victus. Vide manus ad ignem lucram exactus, a vobis descriptam, video luctatorem in vestra imagine illustri depictum. Eusebius (lib. 2. de mirac. S. Stephani) scribit, in Ecclesia, ubi reliquiae s. Stephani servabantur, fuisse quoque imaginem eiusdem Martyris depictam, ad quam visendam frequentes homines concurrere soliti erant. Et d. Damascenus (l. 3. de fide ca. 17) aperte docet, cultum crucis, et imaginum, esse Apostolicam traditionem; quae omnia cum ita sint, revocae quaeso in memoriam verba d. Pauli (2. ad Thesal. 2.): Ecce fratres stultae et tenete traditiones nostras, quas edocui estis, sive per epistolam, etc. et (1. ad Cor. 11): Laudo eos fratres, quia per omnia mei meministis, et sicut tradidi vobis, traditiones tenete.

§. VI.

EX MIRACULIS VALDE AUTHENTICIS.

Illud sane mirifice adstruit et constabit veritatem catholicam de cultu et veneratione imaginum, quod Deus propter carum cultum solitus est stupenda miracula patrare. Certum autem est, auctorem veritatis non posse miraculis approbare mendaciam, et supersitionem; vera autem fuisse haec miracula nemo assequi ingenti temeritate inficiari potest, cum illa referant sanctissimi Patres, Damascenus (orat. 1. et 3. de imagina), Athan. (de Passione), imo et 7. Synodus (Act. 4. et 5), et alii permulti, quos molestum esset percurrere: solum ad exemplificandum nonnulla illorum, quae illi commemorant, hic apponam. Ex antiqua traditione habetur, mulierem illam, quam Christus a futu sanguinis liberavit, in memoriam tanti beneficii, imaginem sen statuum Salvatoris Caesareae crevisse. Refert id Eusebius (lib. 7. histor. capit. 14), ubi addit iuxta illam imagi-

nem nasci solitam herbam, quae cum primum fimbriam imaginis attingebat, similem morbum curabat. Quam historiam recipit etiam diela 7. Synodus (3. in epistol. Germani Patriarchae Constantinopol. circa finem), eiusdem meminit Nicephorus (lib. 6. hist. cap. 15), et Damascenus (orat. 3. de imaginibus circa medium), et Theophylactus (sup. Matth. 9). Indicat aulem Ambrosius (lib. de Salomone ca. 5), mulierem illam fuisse Martham, quod ex Eusebio colligi non potest; solum dicit, ex illa civitate Caesareae fuisse occidam, et praeforibus domus suae illum statuum aeneam possuisse. Addit Sozomenus (lib. 5. hist. cap. 20) de eadem imagine aliud miraculum, quod videlicet, cum Iulianus Apostata statuum Christi inde amovisset, et suam in eodem loco possidet, mox ignis de caelo statuum Iuliani dispersit, et caput a reliquo corpore dividit, plane ad eum modum, quo olim accidit idolo Dagon (1. Regum 5); d. Athanasius (de Pass. imag. Doct. capit. 2) refert, effigiem Salvatoris, a Nicodemio fabricatam, cum a Iudaeis, sacrilego ausu fuerit percussa, sanguinem emississe, cuius rei mentionem faciens 2. Synodus Nicaena (act. 4) ait: *Imaginis latere exieit sanguis et aqua.* Deinde Evagrius scribit (lib. 4. histor. ca. 26), Procopius (de bello Persico, Zonaras (tomo 3. annalium in Roma Lucept.), Iege Covarr. (lib. 4. var. resol. capit. 17. nu. 11), et Nicephorus (l. 2. hist. c. 17. et l. 17. c. 16), quod Eleesna civitas ab imagine Salvatoris, quam Iulio impressam Abgaro miserat Christus, saepe ab incendio fuit liberata; imo et Romae Lateranensis (tholis, tribunum appellat alii, in quo Salvatoris imago, quae Romano populo apparuit, adhaesit scilicet ab incendio exarstone, quae reliquum Ecclesiae corpus collagravit, immunes servata fuit.

Per effigiem etiam Christi Domini in sacra Synode impressa, quae Turoni asservatur, quae miracula fuerunt patrata, monumenta extant atque testimonia omni exceptione maior; illud tamen singularissimum referam, quod mediis cineta singulis quodammodo ardeus non comburebatur; cuius quidem miraculi magnitudinem, et praestantiam, quoties necum ipse factus contempletur, lotus mystici Iuliani rabi memoria obrepit, qui Moysi non sine summa admiratione ardere videbatur, nec tamen absumi (Ezod. ca. 3). Circa hoc miraculum haec declarabuntur, quo tempore, et qua grave acciderit incendium; cum cur sacra Synodus non exarsit, indicabitur. Ut igitur tanti incendii fideliter explicetur atrocitas, describatur hoc loco, quae memoriae prodidit de S. Cappellae exarstone Pugnosis: ita enim scribit in sua Evangelica Synode: *Seci dira bellorum praesaga ann. 1532. demonstrata sunt, cum b. Agnus Decemb. Barbara, Virginis festo die, nocte media non illabente illud incellum, in quo Synodus reprobatur, flammis incognitis exarsit. Currebant omnes, sed omnium diligentissimus, Hilbertus Lambertus ducis a claribus et consiliis, adscito secum ferrario fabro Gulielmo Fusso nomine, et Franciscanis duobus imperitoro antimo, per medios ignes gradiuntur, can-*